

Letter 73: 29 January 1521, Frankfurt, Johann Cochlaeus to Capito

The manuscript of this letter is in the British Library, Add. Ms. 21.524, fol. 7, # 3. The text is published in Th. Kolde, "Beiträge zur Reformationgeschichte," in *Kirchengeschichtliche Studien, H. Reuter zum 70. Geburtstag gewidmet* (Leipzig, 1888) 197-201.

Quae per te (statim id olfeci) mihi perscripsit illustris[s]imus reverendissimusque princeps noster, diligenter custodiam. Vestrum est, honoratissime Capito, conatum hunc meum per se plane frivolum et imbecillum vestro consilio operaque fideliter iuvare pro communi bono totius ecclesiae. Saxum sit qui non ausit in hac publica necessitate et vitam quoque, non solum famam, in periculum exponere. Tu iam pridem Lutheranis suspectus es. Cave ne alteri quoque parti fias ulla tergiversatione suspectus. Non potes amplius esse neutralis. Memini in quibusdam rebus publicis cautum fuisse, ne quis in seditione neutralem se gerat. Non peto tamen ut absque necessitate nomen tuum canibus illis mordacissimis exponas, sed ex imo corde te fraterne moneo, ne claudices utroque pede.

10 Quid faciunt mei quaterniones? Quid, si interim in manus Lutheranorum inciderint? Id si factum est, vestra culpanda erit fides et mea temeritas. Sed prudentiores estis gravioresque quam ut illud contingere permiseritis. Ecce nunc alios duos mitto, omnia properanter ex abrupto ac primo impetu adhuc calida. Mox graviora tentabo, utinam intra mensem proximum duobus possim respondere libellis uni Theutonice, cuius exorsum vidisti, alteri latine *De captivitate* 15 *Babylonica*. Hi enim duo maximi omnium quos adhuc edidit Luther sunt momenti. Tentabo enim prius super secunda propositione respondere, de peccato, gratia et libero arbitrio, ubi latissime propugnacula sua extendit. Nondum habeo eius libros omnes et quos habeo commodato accepi. Grave mihi est tam properanter ad tam ardua respondere, mihi sane obscuro pusilloque ac plane adhuc puero. Sed erigit me fiducia veritatis et exemplum David contra Goliath. Bene vale.

20 Commenda me principi et rescribe, et quidem multa et sepe. Mihi nunc ocium non est literis esse quamvis velim longum. Ex Francfordia 29 die Januarii, anno 1521. Tuus J. Cochleus.